

scilicet honor & fama Dei apud homines, majorque ut ita loquar infamatio Dei sequatur, in eo casu tenetur homo, statim per poenitentiam ei satisfacere; ut contingit cum quis pravam doctrinam disseminavit, tunc enim tenetur statim poenitere, & retractare quod dixit.

112 Obijes quarto: Cum homo in morbum incidit, aut vulnus aliquod recipit, statim tenetur adhibere medicamenta, ne salus corporis periclitetur: Ergo multo magis cum peccavit, tenetur statim adhibere medicamentum poenitentiae, ne periclitetur salus animae.

113 Respondeo illum qui in morbum incidit aut vulnus lethale recipit teneri statim adhibere medicamenta, quando ex dilatione verisimiliter timetur mors eventura, aut ali- quod aliud veritabile damnum, cui postea occurri non possit: non tamen si nullum tale periculum probabile timeatur: idem cum proportione dicendum est de eo qui peccavit, eadem enim est ratio quantum ad hoc de salute animae & corporis. Solutio est D. Thomae infra quest. 6. art. 5. ubi quaerit, *an statim tenetur quis confiteri?* & respondet negative, ac secundo in contrarium sibi obijcit: *Quilibet tenetur plus facere ad evadendum morbum spirituum, quam ad evadendum morbum corporalem: Sed aliquis infirmus corporaliter, non sine detrimento salutis medicum requiritur tardat? Ergo videtur quod non possit esse sine detrimento salutis, quod aliquis sacerdoti cuius copiam habet non statim de peccato confiteatur. Cui argumento sic respondet: Ad secundum dicendum quod non est de necessitate salutis corporalis ut statim medicus quareatur, nisi quando necessitas curationis incumbit; & similiter est de morbo spirituum.*

114 Obijes quinto: Ex praecepto caritatis statim tenetur corripere fratrem delinquentem, ut eum a peccato erudimus: Ergo a fortiori, quando peccavimus, statim obligamur nos peccato per contritionem liberare.

115 Respondeo primo, negando Antecedens, non tenemur enim ad correctionem fratrem statim postquam frater peccavit, sed data opportunitate, nisi vel timeatur periculum novi peccati, vel non speretur similis opportunitas in qua factum ita commode possimus fratrem nostrum corrigere. Idem cum proportione dicendum est de correctione propria.

116 Respondeo secundo, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia nostra salus semper est in potestate nostra, non vero salus proximi: unde cum non possit nobis constare correctionem habituram effectum in fratre, tempore necessitatis, quo ipse sibi ex novo praecepto tenetur salutem procurare, statim postquam peccavit, vel data opportunitate, ex praecepto caritatis, tenetur ipsum corrigere.

117 Obijes sexto: Privatus gratia habituali non potest dii omnia peccata vitare, ut docuimus in Tractatu de gratia, disp. 1. art. 6. Ergo tenetur statim gratiam recuperare, ne se constituat sub morali periculo in alia peccata incidendi. Nam teste Gregorio homil. 11. in Ezech. *Peccatum quod per poenitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud.* Velut ait Prosper lib. 5. de vocat. gent. cap. 2. *Voluntas mutabilis quae non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius appropinquat iniquitati, quanto acius intenditur ad bonum.*

118 Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: cum enim tempus quo potest homo privatus gratia habituali, abstinere a peccato, incertum & indeterminatum sit, etiam periculum peccandi in quo versatur, est indeterminatum & incertum; licet autem unusquisque intendat evitare determinatam peccandi occasionem, determinatamque periculum, secus tamen si haec certa & determinata non sint.

119 Obijes septimo contra secundam conclusionem, in qua diximus, praeceptum contritionis non obligare ad detestanda peccata nondum remissa, diebus festis. In diebus festis tenetur Deo vacare: At homo existens in peccato mortali, non potest Deo vacare, nisi prius de peccato contritetur, & per contritionem Deo reconcilietur: Ergo existens in peccato mortali, tenetur, saltem diebus festis, actum contritionis elicere. Unde Leviticus 23. dicitur: *Sabbatum requiescentis est, affligetisque animas vestras.* Et paulo: *Omnis anima, quae affligit non fuerit dii haec, peribit.*

120 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; praeceptum enim colendi dies festos, solum obligat ad vacandum Deo, & exhibendum illi debitum cultum, per opera religionis, & cessationem ab operibus servilibus; haec autem fieri possunt etiam a peccatore. Unde ad locum Leviticus respondent aliqui, illum non intelligi de contritione interna, sed de abstinentia externa per abstinentiam a voluptatibus. Sed esto intelligatur de contritione interna, quod probabilis est; erat enim institutum semel in anno die decima mensis septimi festum propitiationis seu expiationis, in quo Sacerdos sacrificabat & orabat pro peccatis populi, ut Deus illis peccata remitteret: unde tunc obligabat praeceptum contritionis de peccatis nondum remissis: ille tamen locus non urget; quia

ratae praeceptum in lege Evangelica commutatum est in praeceptum annuae confessionis, quod, ut supra diximus, non obligat ad contritionem, sed duntaxat ad attritionem supernaturalem: quia in lege Evangelica attritio iuncta sacramento, aequivalet contritioni, & reddit hominem de attritio contritum.

DISPUTATIO VIII.

De Praecepto Confessionis.

Ad quaestionem 6. Supplementi.

DE praecepto contritionis egimus disputatione praecedenti, in hac differemus breviter de praecepto tam divino, quam Ecclesiastico confessionis, quae est secunda pars materialis sacramenti poenitentiae, de qua S. Thomas disp. qu. 6. supplementi. & quinque sequentibus.

ARTICULUS I.

An confessio sacramentalis sit iure divino positivo praeceptum, & quas personas, quove tempore, obliget tale praeceptum?

CERTUM est confessionem sacramentalem non esse de iure naturali, ut docet D. Thom. hic art. 2. Tum quia sacramenta (inquit) non sunt de iure naturali, sed de iure divino, quod est supra naturam. Tum etiam, quia natura non inclinatur ad confessionem peccatorum praeteritum occultorum. Tum denique, quia quod est de iure naturali, est commune apud omnes gentes, cum sit in omnibus illis eadem natura rationalis, & idem rationis dictamen. Unde Lullius lib. 2. de invent. *Sus naturale est (inquit) quod non opinio generis, sed innata quaedam vis inferior.* Solum ergo difficultas est, an confessio sacramentalis, sit de iure divino positivo, & an fideles habeant praeceptum a Christo peccata sua ad sacerdotes delinendi? Pro resolutione.

Dico primo, confessionem sacramentalem esse iure divino praeceptam. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 6. & 7. contra haereticos nostri temporis.

Probatur primo: Christus Joan. 20. dedit Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, potestatem absolvendi fideles a peccatis, eaque juxta ipsorum arbitrium retinendi: At Sacerdotes non possunt habere potestatem peccata fidelium retinendi, si ipsi fideles praeceptum a Christo non habeant sua peccata ad Sacerdotes delinendi: Ergo confessionis sacramentalis usus, ab ipso Christo praeceptus & institutus est.

Probatur secundo: Christus sacramentum poenitentiae quoad omnes suas partes instituit, ut disput. 1. ostensum est: Ergo usum ejus, subindeque sacramentalem confessionem, praecepit. Probatur Consequentia, tum exemplo Baptismi, quod quia institutum est a Christo, voluit Christus ad illud servandum peculiari praecepto omnes obligare. Tum etiam ratione, nam sapientis ac providi legislatoris munus est, non modo sanctissimis legibus civem instruere, sed ad eas etiam servandas, quantum fieri potest, eos obligare.

Probatur tertio: Praeceptum confessionis in lege Evangelica successit praecepto contritionis; alioquin Christus per praeceptum confessionis non alleviasset, sed aggravasset onus, nam praeceptum contritionis, addidisset praeceptum confessionis: Sed ante legem Evangelicam praeceptum contritionis iure divino obligabat peccatores, ut disputatio praecedenti articulo ultimo ostensum est: Ergo pariter in lege Evangelica confessio sacramentalis est iure divino praecepta. Unde sicut ante legem Evangelicam contritio obligabat peccatores ex triplici capite; primo ex lege iustitiae, ut nimirum homines satisfacerent Deo pro injuria illata, iustque divinum laesum repararent; secundo ex lege caritatis erga Deum quae nos obligat ad ipsum amandum super omnia, ac detestandum quicquid ei displicet; tertio ex lege amoris propitii, quae tenemur nostris spiritualibus necessitatibus subvenire, aeternamque animae nostrae ruinam vitare, ut loco citato declaravimus: ita triplici illo titulo tenetur Christiani in lege nova, peccata sua Sacerdotibus confiteri.

Demum suaderi potest conclusio ex regula quam tradidit Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 34. ubi sic ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilium institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Sed neque in Conciliis, neque in Pontificum decretis, ullum extat initium hujus praecepti; nam licet in Lateranensi anno confessio cunctis fidelibus praecepta fuerit, in eo tamen non confessio ipsa, sed solum tempus quo fieri debet praescriptum est, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. his verbis: *Neque enim per Lateranense*

Concilium Ecclesia statuit, ut Christiani fideles confiteantur, quod iure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed nec praeceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annuam discretionis pervenissent, impletur: Ergo confensum est, praeceptum Confessionis Sacramentalis esse de iure divino, & manasse immediate a Christo, & per Apostolos Ecclesiae communicatum fuisse. Et certe, cum praeceptum illud tam arduum ac difficile, nisi a Christo immediate manasset, difficillime persuaderi potuissent fideles, ut ipsum acceptarent, ac tot feculis inviolabiliter observarent: maxime quia non possit Ecclesia gravitatem hujus praecepti lenire, sicut illam Deus lenit internis consolationibus, nec humana providentia impedire possit plura inconvenientia ex tali confessione oriunda, quae nunc Deus mirabili sua providentia impedit. Unde plures Theologi existimant, quod Ecclesia non possit simpliciter & absolute praecipere fidelibus Confessionem Sacramentalem, secluso praecepto divino de illa.

Dico secundo, hoc praeceptum non obligare infideles, sed duntaxat baptizatos, habentes conscientiam peccati mortalis, non vero eos qui sunt confirmati in gratia.

Ratio prima partis est, quia cum Baptismus sit janua ad alia Sacramenta, ante susceptum in re Baptismus, nullas est capax aliorum Sacramentorum: unde cum praecepta divina eos solum obligent qui possunt ea implere, infideles nondum baptizati non obligantur ad Sacramentum poenitentiae, sed duntaxat fideles post susceptam Baptismus, cum materia Confessionis Sacramentalis sint peccata post Baptismus commissa.

Dico, quavis infideles nondum baptizati non obligentur immediate ad Confessionem Sacramentalem, ad eam tamen obligari mediate: quia si haberent sufficientem notitiam de mysterio nostro fidei, tenentur eam amplecti, & Baptismus suscipere; unde si non impleant praeceptum de Baptismo, omnino praecepti poenitentiae impuratur ad culpam.

Sed contra primo: Qui ex voto tenentur ad ingressum alienius Religionis, licet teneantur eam amplecti, nihilominus antequam illam ingrediantur, non tenentur observare leges, & praecepta illius, ut communiter docent Theologi: Ergo similiter, licet infideles de mysterio nostra fidei sufficienter intrudati, teneantur suscipere Baptismus, non tamen ante illius receptionem, & priusquam Ecclesiam ingrediantur, tenentur observare praecepta quae Christus dedit Ecclesiae, qualia sunt praecepta circa Sacramenta. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 2. ait, quod Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.

Contra secundo: Omnia peccata ante Baptismus commissa, remittuntur per susceptionem Baptismi, independentem a Sacramento poenitentiae, non enim baptizati tenentur peccata ante Baptismus commissa clavibus subicere: nec tenentur post Baptismus suscipere Sacramentum poenitentiae, nisi labantur in novum mortale: Ergo non possunt ad illud obligari majori Baptismate; alioquin obligarentur ad novum mortale committendum, cum non possint ad Sacramentum poenitentiae obligari, nisi ratione mortalis post Baptismus commisi. Unde quamvis datur tunc infideles obligentur ad Eucharistiam, mediante Baptismo, ut medio disponente & habitante subiectum ad ejus receptionem; non possunt tamen eo modo obligari ad Sacramentum poenitentiae.

Secunda pars conclusionis, quae asserit praeceptum istud obligare omnes baptizatos habentes conscientiam mortalis, evidens est, cum Sacramentum poenitentiae sit institutum a Christo ut medium necessarium ad remittenda omnia mortalia post Baptismus commissa. Ex quo probata manet tertia pars, nam confirmati in gratia non habent materiam necessariam hujus Sacramenti, quae sunt mortalia, propter quae tantum fideles obligantur ad illud suscipiendum, ut definit Tridentinum sess. 14. c. 5. sed ad summum tantum habent materiam sufficientem, quae sunt venialia, propter quae non est hoc Sacramentum primario institutum, cum haec alia via, multisque aliis remediis expiari possint, ut constat ex dictis disp. 4. Ex quo

Inferes, B. Virginem, utpote non solum confirmatam in gratia, sed etiam ab omni peccato immunem, praeceptum confessionis non fuisse obligatam, immo nec hujus sacramenti capacem. Unde falsum & temerarium est quod aliqui dicunt, B. Virginem quotidie fuisse confessam S. Joanni Evangelistae. Quod Fagundes de secundo praecepto Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 10. falso tribuit D. Thomae 3. part. qu. 37. art. 4. ibi enim S. Doctor solum agit de antiqua ceremonia, quae solebant mulieres post partum accedere ad templum purgandae.

Dices, Baptismus potest impendi immuni a peccato originali, unde B. Virgo fuit a Christo baptizata, ut diximus in Tractatu de Baptismo: Ergo similiter Sacramentum poenitentiae potest impendi illi qui nullam unquam commisit peccatum actuale.

Theol. Coer., Tom. V.

Sed nego consequentiam, & paritatem: materia enim Baptismi non constat ex confessione peccati originalis, sed ex ablutione personae baptizandae, materia vero poenitentiae constat ex propria confessione, & dolore de illo. Unde sicut repugnat Baptismus administrare sine aqua, & Eucharistiam confici sine pane & vino; ita & sacramentum poenitentiae impendi ei qui nullam unquam commisit peccatum actuale, licet interdum impendi possit subiecto nullum habenti peccatum, quia ad hoc sufficit, ut saltem aliquando peccatum habuerit, ut ex praesenti confessione, & dolore illius, confici possit hoc sacramentum.

Dico tertio, praeceptum divinum confessionis, per se obligat tantum in articulo vel periculo mortis, per accidens vero in multis aliis casibus obligare potest.

Probatur breviter: Cum praeceptum divinum confessionis in lege Evangelica successerit praecepto contritionis, non obligat, nisi quando obligat contritio: Sed contritio per se non obligat nisi in articulo vel periculo mortis, licet per accidens possit frequentari, & in multis aliis casibus obligare, ut disp. praecedenti art. ult. declaravimus: Ergo & praeceptum divinum de confessione.

ARTICULUS II.

Resolvuntur breviter quaedam difficultates seu casus conscientiae de praecepto Ecclesiastico annuae confessionis.

PRATER divinum praeceptum de confessione Sacramentali, articulo praecedenti exposuimus, datur praeceptum Ecclesiasticum de confessione annua proprio Sacerdoti faciendae, & de Eucharistia in Paschate suscipienda, quod habetur in cap. *Omnis utriusque sexus, & poenitentis & remissionibus*, sub his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annuam discretionem pervenerit, omnia sua solum peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascho Eucharistia sacramentum.* Circa hoc praeceptum plures proponi solent difficultates seu casus conscientiae, quos breviter hic proponemus ac resolvemus.

Quaeritur ergo primo, utrum hoc statutum Concilii Lateranensis sit exhortatio sive consilium Ecclesiae, an vero formale praeceptum obligans sub mortali?

Respondeo esse praeceptum obligans sub mortali, ita enim definitur in Tridentino sess. 14. can. 8. & patet ex poena gravissima quae statuitur contra ejus transgressores, ejectione scilicet ab Ecclesia, & carentia Ecclesiastica sepulture. Adde quod praeceptum illud Ecclesiasticum de annua confessione, est determinatio praecepti divini, quantum ad tempus: Sed praeceptum divinum obligat ad mortale: Ergo & Ecclesiasticum.

Dices, Confessio Sacramentalis dolorem de peccatis exigit & includit: Sed dolor, cum sit actus pure internus, non potest cadere sub praecepto Ecclesiae, actus enim puri interni, cum per se non cadant in notitiam sensibilem, non possunt esse intra sphaeram humanae gubernationis, sed illi soli subiciuntur, qui omnium hominum secreta novit: Ergo Confessio Sacramentalis non potest cadere sub praecepto Ecclesiae.

Respondeo primo, hoc argumentum solum probare confessionem, ut includit actum internum doloris de peccatis, non posse cadere sub praecepto Ecclesiae, non tamen id offendere de Confessione, ut dicit actum pure externum, quo peccata Sacerdoti manifestantur.

Respondeo secundo, dato quod Ecclesia non possit directe & primario praecipere actum internum, indirecte tamen & secundario illum jubere potest, quando fidei actus interior est necessarius, ut exterior sit bonus & honestus. Unde per se loquendo habet potestatem super actus exteriores; super actum vero interiore, per accidens, & ratione actus exterioris, in quantum est forma illius.

Tertio, responderi potest, quod licet Ecclesia praecipiat solum confessionem externam de peccatis, supposito tamen hoc praecepto, obligatur poenitens iure divino, propter reverentiam quam debet huic Sacramento, ne illud irritum reddat, simul cum externa Confessione actum internum doloris elicere; sicut ex suppositione quod ex praecepto Ecclesiae jensemur vocaliter orare, jure divino, & virtute religionis, obligamur ex reverentia quam in orando Deo debemus, internam attentionem adhibere.

Quaeris secundo, an praeceptum Confessionis sit distinctum a praecepto communionis, vel solum obliget peccatens, & in ordine ad assumptionem Eucharistiae?

Respondeo esse praeceptum distinctum, & obligare per se ac independentem a praecepto Eucharistiae, ut constat ex fine propter quem factum est, nempe propter maximam necessitatem & utilitatem, quam secum affert Sacramentum poenitentiae; independentem a Sacramento Eucharistiae, nimirum saltem animarum, & justificationem peccatoris, qui finis non solum militat in his qui sunt ad Eucharistiam idonei, sed in reliquis omnibus qui mortalis post Baptismus capaces sunt. Ex quo

S

Inferes

Inferes primo, cum qui per annum esset legitime impeditus a susceptione Eucharistiae, teneri nihilominus ad Sacramentalem Confessionem, Unde Tridentinum sess. 14. cap. 8. anathemate damnat eos qui dixerint ad Confessionem sacramentalem non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magis Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno. Ubi loquitur independentem a precepto Eucharistiae, cujus nulla ibi fit mentio.

Inferes secundo, preceptum confessionis annuae, non ita precepto communjonis sacchalis esse annexum, ut pro eodem tempore obliget, unde si quis in Natali Domini, aut alio quovis anni tempore confiteatur, precepto Ecclesiastico Confessionis annuae satisfaciat; postea vero in Paschate, si non habeat conscientiam peccati mortalis, non tenebitur confiteri, sed solum communicare; si vero conscientiam mortalis habeat, tenebitur quidem prius confiteri, quam communicare, ad id tamen non obligabitur ex vi precepti Ecclesiastici annuae confessionis, sed ex vi precepti divini prohibentis ne quis indigne ad Eucharistiam presumat accedere. Hinc orta est consuetudo fidelium confitendi in Quadragesima, vel in Paschate; cum enim teneatur ad dignam Eucharistiae susceptionem, confessionem praeferre, illam differunt ad Quadragesimam, non quod putent eam tempore determinato se ad Confessionem obligari, sed ne si alio tempore confiterentur, deberent postea, ratione sacrae synaxis, iterum confiteri.

Quaerit tertio: An Ecclesia obliget ad annuam Confessionem qui habet solum peccata venialia?

Respondeo negative, cum S. Thoma hic artic. 3. ad 3. Primo, quia in praedicta Concilii Lateranensis Constitutione dicitur: Omnes fideles peccata sua semel in anno confitentur; Sed hoc de venialibus intelligi nequit, quia moraliter loquendo impossibile est, nedum illa omnia confiteri, verum etiam propter eorum multitudinem in memoriam reducere: Ergo hoc preceptum de solis mortalibus est intelligendum.

Secundo: In illo statuto praecipitur ut omnia peccata sua Sacerdoti proprio confitentur: Sed peccata venialia non sunt necessario proprio Sacerdoti confitenda, cum ab illis quilibet simplex Sacerdos possit absolvere: Ergo tale preceptum non obligat ad annuam confessionem eum qui solum habet peccata venialia.

Tertio, in dicto capite, Omnis utriusque sexus, gravissima peccata indignis illis qui tale preceptum non implet, nempe ejectio ab Ecclesia, & privatio ecclesiasticae sepulturae, ut supra diximus: Sed non videtur equum, aut rationi consentaneum, ei qui peccata venialia confiteri recusaret poenam adeo gravem infligere: Ergo idem quod prius.

Denum, ut supra ostendimus, preceptum Ecclesiasticum de annua confessione, est determinatio precepti divini: Atqui preceptum divinum non obligat nisi ad confitenda mortalia: Ergo nec Ecclesiasticum. Nec refert quod subditi teneantur singulis annis a suis Pastoribus agnoscere, ac proinde etiam si non habeant mortalia, teneantur proprio Sacerdoti suam conscientiam confessione aperire; nam ut notat D. Thomas loco citato, sufficit quod in tali casu poenitens ostendat se Sacerdoti, dicendo se nullam habere conscientiam mortalis.

Quaerit quarto: utrum quando quis certo se sit probabiliter timet, quod si modo non confiteatur, forte finem anni non poterit confiteri, quia nimirum navigaturus est in longinquam partem, in qua non habebit copiam Confessarii, teneatur confessionem anticipare, & statim confiteri, antequam annus compleatur?

Respondeo affirmative: duo enim (ut annotavit Canon relect. de poenit. p. 5.) sunt genera preceptorum, quaedam obligant hominem determinate pro aliquo certo & determinato tempore, ut preceptum jejunii, auditionis Missae, recitationis Officii, &c. Et impletio istorum preceptorum non debet necessario praeveneri, licet praevideatur fore impedimentum tempore quo obligant; quia quod cadit sub hujusmodi preceptis, est opus temporis, aut diei determinatio: alia vero sunt precepta sine aliqua temporis determinatione obligantia, quae videlicet aliquo tempore indeterminato implenda sunt, quia id quod praecipitur est medium necessarium ad salutem, ut patet in precepto de Baptismo, Communione, &c. Cum ergo preceptum confessionis sit hujusmodi generis, & ejus obligatio oritur ex eo quod confessio sit medium necessarium ad salutem, hinc fit quod in casu postea teneatur poenitens tempus anticipare; sicut etiam in eo casu teneatur communicare, priusquam discedat a mari se committat. Hujus enim Sacramenti perceptio non est tempore Paschali praecipua, solum ob venerationem temporis, sed maxime propter Christi preceptum, quo aliquoties in vita, non minus quam precepto confessionis, voluit fidelibus obligari. Unde sicut Ecclesia vagam illam & indeterminatam obligationem, quam sacramentum poenitentiae ex precepto divino habebat, suo precepto determinavit ad certum tempus: ita vagam quoque & indeterminatam obligationem, quam Eucharistia ex precepto Christi habe-

bat, ad tempus Paschale determinavit, propter memoriam institutionis hujus Sacramenti, quae hoc tempore facta fuit a Christo.

Quaerit quinto, an qui non est confessus intra annum teneatur statim confiteri initio sequentis?

Respondeo affirmative: Quando enim tempus non ponitur ut terminus, quo preceptum exspirat, sed ultra quod differri non debeat executio precepti, adhuc elapso tempore preceptum obligat; ut quando praefigitur certum tempus debitori ad solvendum, adhuc eo tempore transacto, debitor manet obligatus ad debitum solvendum; quia tempus non fuit illi praefixum ut in eo debitum exspiraret, sed ne ultra illud debiti solutio differretur: At in dicta Constitutione Concilii Lateranensis, tempus anni non ponitur ut terminus quo preceptum exspiraret, sed ultra quod differri non debeat adimpletio precepti confessionis, ut colligitur ex verbis illis, Ut saltem semel in anno confiteatur, quae acquiescent illis: Ne ultra annum confiteri differant: Ergo adhuc elapso anno, preceptum illud obligat.

Confirmatur: Finis hujus precepti est ne tam salubre ac necessarium medium differatur ultra annum: Ergo non adimpletum intra annum, semper obligat, donec impleatur.

Quaerit sexto, utrum ex vi hujus precepti poenitens teneatur confiteri scripto, vel per interpretem, quando aliter non potest?

Respondeo ipsum teneri quidem confiteri scripto, sed non per interpretem.

Ratio prima partis hujus resolutionis est, quia precepta Ecclesiae obligant, quando in eorum impletione non est magna difficultas, nec grave aliquod damnum ex ea provenit: Sed in eo quod poenitens scripto confiteatur, nec est gravis difficultas, nec grave damnum inde emergit: Ergo teneatur poenitens confiteri scripto, quando aliter non potest.

Quod vero non teneatur confiteri per interpretem, colligitur ex cap. Omnis utriusque sexus, ubi praecipitur, ut omnis fidelis omnia sua peccata solus confiteatur proprio Sacerdoti. Nam per ly solus, aperte excluditur interpretes.

Confirmatur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. ubi delimitur non esse Divino vel Ecclesiastico precepto mandatum, ut delicta sint publica confessione aperienda: At per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: Ergo fideles non obligantur confiteri per interpretem, quando aliter non possunt.

Confirmatur amplius: Si scirem Confessarium vel unum tantum, in eum peccatum esse revelaturum, non teneretur illud confiteri: Ergo nec tenetur illud confiteri per interpretem: Exspiciendus tamen est articulus mortis: tunc enim tenetur ex precepto caritatis erga nos ipsos, & aliter non possumus, confiteri per interpretem, immo & coram aliis, etiam cum interpretem, immo & coram eo articulo agatur de aeterna animi salute, quae praecipua est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis boni, quae ex peccatorum confessione sequitur, dubiam reddere aeternam nostram salutem.

Quaerit septimo, an preceptum Ecclesiasticum de annua confessione, impletur per confessionem invalidam, vel saltem per confessionem validam, sed informem, quam posse dari magis communiter docent Theologi, & patet ibi dicendis disputatione sequenti?

Respondeo, hoc preceptum non impleri per confessionem invalidam, bene tamen per confessionem validam, sed informem.

Ratio primae partis hujus resolutionis evidens est, quidquid in contrarium dicant aliqui novi Casuistae: Confessio enim invalida, quae fit illegitimo ministro, potius prohibetur quam praecipitur ab Ecclesia: Ergo per eam non adimpletur preceptum Ecclesiasticum de annua confessione, sed solum per confessionem validam, seu ministro legitimum factam. Unde in capite, Omnis utriusque sexus, saepe citato dicitur: Omnis utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. Ubi per ly proprio Sacerdoti, intelligitur Parochus, vel alius minister legitimus, & ab Episcopo approbatus.

Quod vero per confessionem validam, sed informem, hoc preceptum impletur, sic ostenditur. Tunc impletur preceptum aliquis rei, quando omnia ad effectum rei praecipite requisita adhibentur: Sed per confessionem validam, quamvis informem, adhibentur omnia pertinentia ad confessionem sacramentalem, alioquin non esset valida: Ergo per illam impletur preceptum Ecclesiae de annua confessione.

Confirmatur: Finis precepti non cadit sub precepto: Sed gratia per Sacramentum recipienda, cujus privato reddit Sacramentum informe, est finis precepti confessionis Sacramentalis: Ergo non cadit sub precepto.

Confir-

Confirmatur amplius: Poenalia potius sunt restringenda, quam amplianda: Sed preceptum confessionis poenale est: Ergo non debet ampliari ad actum confessionis formatae, sed potius stringi ad actum informis, modo quoque essentiam Sacramenti fit valida.

Quaerit octavo, an aliquando poenitens teneatur bis confiteri de iisdem peccatis?

Respondeo ad id teneri in quatuor casibus. Primus est, quando poenitens priusquam absolveretur a peccatis, non fuit absolutus ab excommunicatione quam incurrerat. Secundus, quando poenitens vovit se facturum confessionem generalem omnium peccatorum quae prius confessus est. Tertius, quando quis non potest sufficienter explicare malitiam praesentium peccatorum, nisi repetendo peccata aliqua jam manifestata in aliis confessionibus. Quartus, quando urgente precepto, vel gravi necessitate, poenitens habens peccata reservata confiteri inferiori Sacerdoti; tunc enim peccata reservata quae Sacerdoti inferiori, ob integritatem confessionis, declaravit; teneatur iterum superiori cui sunt reservata confiteri, ut communiter docent Theologi; quia a Sacerdote inferiori indubite tantum & per accidens ab illis peccatis absolutus fuerat, & cum obligatione ea confitendi superiori, suo tempore.

Dices, in eo casu poenitens non tenetur confiteri Sacerdoti inferiori peccata reservata superiori, cum ab illis absolvere non possit, & confessio ad absolutionem ordinatur.

Sed contra: Etiam si Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur poenitens et omnia confiteri, ut quantitate totius culpa cognoscatur, & de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat, ut ait S. Thom. q. 9. supplem. art. 3. ad 3.

Questio 7. supplementi agit D. Thomas de quidditate confessionis, & in primis ostendit, illam sic recte definiari ab Augustino: Confessio est per quam latens malus, seipsum aperitur. Deinde demonstrat illam esse actum virtutis, effectus elicitive a poenitentia, & non a veritate, ut quidam dicunt, imperativae autem ad multas virtutes pertinere posse. Quae omnia patent ex dictis disputatione explicando naturam & quidditatem virtutis poenitentiae. Unde solum hic explicanda est alia definitio Confessionis, quae a Theologis communiter traditur, sub hac verborum serie: Confessio Sacramentalis est legitima, & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis, ad eorum remissionem, virtute clavium obtinendam.

Dicitur primo accusatio legitima, id est coram legitimo iudice, quia in hoc convenit confessio cum aliis accusationibus judicialibus. Additur Sacramentalis; quia licet confessio peccatorum extra Sacramentum possit esse actus virtutis poenitentiae, si fiat ex motivo ipsius, tamen de ea ut sic non loquimur in praesenti. Tertio, declaratur propria materia hujus accusationis, dum dicitur de propriis peccatis. Denum explicatur ejus causa finalis, ac proprius illius effectus, nimirum remissio peccatorum obtinenda.

DISPUTATIO IX.

De Ministro Confessionis.

Ad questionem 8. supplementi.

Quia minister hujus Sacramenti aliquo modo ad ejus effectum pertinet: ut enim docent Florentinum, Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione Ministri, merito S. Thomas explicata essentia ac definitione confessionis Sacramentalis statim differat de ejus Ministro, de quo etiam in hac disputatione agemus.

ARTICULUS I.

Utrum solus Sacerdos sit minister confessionis Sacramentalis?

Partem negantem tenuit Wiclef, ut refert Thomas Waldensis tom. 2. de Sacrament. cap. 135. asserens enim potestatem absolventi a peccatis, sed non reconcilians Dei peccatores, tam laicis quam Sacerdotibus communem esse. Idem docuit Lutherus in libro de abroganda Missa. Ut hic error resellatur, & veritas Catholica stabilietur.

Dico breviter, solus Sacerdos est minister confessionis Sacramentalis, unde ille solus potest absolvere a peccatis, & peccatores cum Deo reconciliare. Conclusio est certa de fide, ac definita in Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. contra Wiclef, in Florentino in decreto unionis, & in Trident. sess. 14. cap. 6. ubi nullus minister alius nisi sacerdos assignatur. Et can. 10. dicitur Theol. Conet, Tom. V.

solos sacerdotes esse ministros absolutionis, & verba illa. Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. solis sacerdotibus esse dicta, atque illis solis potestatem remittendi peccata fuisse concessam.

Idem passim docent SS. Patres, praefertim Chrysolomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. ubi ait inter alia, Sacerdotes Evangelicos habere potestatem, quam neque habent Angeli, neque Archangeli, neque terreni Principes, quoniam ad hos omnes dictum non est, Quicumque solveritis, &c. Indeque concludit Christianissimus per suam esse debere, ut Sacerdotum curationi fidei submittant. Item Ambrosius lib. 1. de poenitent. cap. 25. jus ligandi & solvendi solis Sacerdotibus dicit esse concessum. Idem docet Hieronymus in cap. 16. Matthaei, ubi addit hoc in veteri lege praefiguratum fuisse, quando iudicium inter lepram & lepram solis Sacerdotibus reservatum fuit. Et Leo Magnus Episcopus ait Theodorum, ait indulgentiam Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse. Loquitur autem de confessione & absolutione Sacramentali, ut ex contextu manifestum est. Augustinus vel Auctor libri de vera & falsa poenitentia, de peccatore loquens: Reprostatet (inquit) vitam suam Deo per Sacerdotem, praesentia iudicium Dei per confessionem. Denum Tertullianus lib. de poenitent. cap. 9. testatur poenitentes sui temporis, non tantum lacrymari & ingemiscere foliis, sed & Presbyteris absolvi & ari Dei adgniculari.

Adde cum D. Thoma hic art. 1. conveniens fuisse, ut illi soli haberent potestatem in Corpus Christi mysticum, qui potestatem habent in Corpus Christi verum, quales sunt soli Sacerdotes, unde in nullis aliteris ministris consecratione dicitur: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Item Sacramentum poenitentiae se habet per modum iudicii, unde absolutio a peccatis est actus judicialis: Sed non est conveniens quod in republica bene ordinata, qualis est Ecclesia, omnes sint iudices; cum multa requirant actus judiciales, quae non facile possunt in quolibet reperiri, ut scientiam, prudentiam, justitiae zelum, &c. Ergo nec quod omnes sint confessionis Sacramentalis ministri.

Objicies primo: Jacobi 5. dicitur: Confitemini alterutrum peccata vestra, quod de confessione quae fit in Sacramento poenitentiae, intelligit Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. 12. ubi fit ait: In omnibus Scripturis divinis nulliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus iugiter & humiliter, non solum Deo, sed etiam Sanctis & Deum rimentibus confiteri; sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet Spiritus Sanctus: Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. Ergo licitum est cui libet, etiam laico, confiteri Sacramentaliter, subindeque solus Sacerdos non est minister confessionis Sacramentalis.

Respondeo sensum horum verborum esse, quod homines habent confiteri non solum Deo, sed etiam hominibus, non quibuscumque, sed habentibus potestatem absolventi, ac proinde solis Sacerdotibus. Unde ibi venerabilis Beda: In hac sententia (inquit) illa debet esse discretio ut quotidiana levique peccata, coequalibus alterutrum confiteamur; porro gravioris lepra immunditiam Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter, & quanto tempore iusserit, purificari curemur. Alludit ad legem leprose, quae leprosum jubebat ostendere se Sacerdoti, ut eam iudicare ac discernere posset.

Objicies secundo: cap. Fures, extra de furtis, sic habetur: Fures & latrones, si in furando & depradando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem non negamus: Ergo Diaconus potest esse minister confessionis Sacramentalis. Unde Cyprianus episcopus 13. de lapsis hac habet: Si incommoda aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra, apud Presbyterum quemcumque praesentem, vel si Presbyter reperitus non fuerit, & urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possunt. Item in Concilio Tolosano 1. can. 2. prohibetur ne Diaconi qui ex poenitentibus ordinati sunt, manus imponant, id est ne poenitentes a peccatis absolvant. Ex quo non obscure colligitur, Diaconis potestatem remittendi peccata committi solitam.

Ad primum respondeo primo mendam esse in textu, & legendum esse loco istarum vocum, Presbytero vel Diacono, Presbytero & Deo, prout habetur in Canone 31. Concilii Tridentiniensis, ex quo caput istud Fures desumptum notatur. Sic enim habetur in hoc Concilio: Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabatur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteris sacramentalis, habuit corporis, & voluntate pia mentis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite vita, emendatione morum & altissimum confiteatur, Communionem gratiam non negamus tribuendam.

Respondeo secundo, quod etiam legatur vel Diacono, nihil contra nos, quia hoc non debet intelligi, de confessione & absolutione Sacramentali, sed de canonica reconcilia-